Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8182
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

poralia et spiritualia. et in se ipsum
Ad primum pertinet quod legitur
in Proverbiis xxix. Qui vult scor-
tum perdet substantiam. Et Luce xv.
De filio prodigo qui dissipavit
substantiam suam vivendo luxuri-
ose. Ad bona vero que destru-
it operatur igni. unde Iob.
xxxi. Ignis est usque ad consuma-
tionem devorans. et omnia eradi-
cans germina. Ad hoc quod ipsum
hominem auferat ipsi pertinet
quod legitur Osee iiii. Fornicacio
et vinum. luxuria et ebrietas
auferunt cor. Ipsum enim corpus
quandoque amittit. unde Regum xiii.
Interfectus est Amon quia corru-
pit Thamar. Ieronimus. Sanguis me-
chorum cottidie funditur. Ad-
ulteria dampnantur. Honorem
etiam aufert hoc vicium. et maximum
torum bonorum. unde Genesis penultimo.
Ruben primogenitus meus et cetera
iungitur prior in donis et ma-
ior imperio. simplex debueras
esse. Sed sequitur. Non crescas. quia
patris tui maculasti cubile. Propterea
iure debebatur ei honor pri-
mogeniture. et duplicitas
in possessionibus. quod amisit.
quia cubile patris sui maculavit
Ad detestacionem autem huius vicii.
faciunt alia iiii. scilicet quod hoc vicium
illud multum efficax est. ad homi-
nem capiendum. et multum po-
tens ad detinendum. ponit in
magna vilitate et miseria

servitutem. Ad primum pertinet
quod dicit Augustinus. Efficacissimum
glutinum ad capiendas animas
est mulier. Et Proverbiis vii. Demul-
cere mala. Et multos vul-
neratos deiecit. et fortissimi
quique interfecti sunt ab ea.
Ad idem facit Numeri xxxi. Quod
hoc peccatum pre ceteris elegit Ba-
laam quo deiceret filios
Israel. et faceret eos peccare. Hoc
vicium capit et ignobiles. unde
et in serico et in pannis cadit
libido dominatur. nec reges pur-
pureos. nec mendicancium calo-
rem spernit. Hoc vicium capit
et sapientes et insipientes.
unde Ieronimus. Quid Salomone sa-
piencius. et tamen infatuatus
est amore mulierum. Ecclesiastici xix. Vinum xx
et mulieres apostatare faciunt. id est
recedere a deo. Gravius illud
peccatum super totum mundi pondus
mundum ad infernum trahit. unde
Abacuc. In hamo suo sublevavit
totum et traxit in sage-
na sua. et aggregavit in rethe
suo. hamus et rethe et sagena
dyaboli sunt pulchre mulieres. que
totum in perdicionem trahunt. Po-
tens est etiam hoc peccatum ad retinen-
dum. unde Proverbiis xxiii. Fovea profun-
da os mulieris aliene. cui
dominus iratus est incidet in eam.
Qui in profundam foveam cadit
non de facili exit inde. nec de faci-
li exit de manibus dyaboli. quod capit